



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Populus Judaicus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

POPULUS JUDAICUS. CAP. IV.

A ET populus Judaicus, utpote qui sublimioris doctrinae, quae in Divinis eorum literis delitescit, ^{Judaici sine comparati-} intellectu minimè percipiunt, simplicitatemque scriptorum tantum prosequuntur, ob hujusmodi stuporem & imperitiam Asinae assimilatur, quam Christus posthabuerit incenso ejus pullo, qui factus est ea doctrina dignus, quam ille nos docuit. Asina enim illa, ut Graeci Theologi deprehendere, populi prioris symbolum fuit, quae scripti onus pertulerit: est enim animal ad onera tantum & labores genitum, ut Eucherius dicit, super quam Apostoli vestimenta sua injecere, hoc est, veterem hominem exuere. Pullus vero, de quo Zacharias: *Eccc Rex tuus veniet tibi justus, & salvator ipse pauper sedens super pullum Asinae*, propter pristinam imperitiam, juniorem indicabat populum, Asinae quidem filium, ut Evangelista cum plerisque aliis reddidere, nonnulli filium subjugalis posuere, animalis quippe, quod operibus & officiis servilibus omnibus subjicitur: plerique Gentilium nationem appellarunt, quae Christum insidentem tulit, promissamque à Prophetis & lege salutem minime despexit: *Agnovit enim Asinus praesepem Domini sui*. Hoc porro citato Eucherius: *Per Asellum, ait, quem insedit Dominus, simplicitas fidelium exprimitur: plebs scilicet quae Dei notitiam non habebat, quam Christus regendo & praesidendo, ad Hierusalem, hoc est, ad pacis conspectum, adducit.*

A DEO ET SACRIS ALIENUS. CAP. V.

A Sinum porro Aegyptii adeo impurum existimabant, ut animal etiam daemoniacum arbitrentur, propter quandam cum eo similitudinem. Quo vero ostenderent eum admoveri sacris minime debere, hominem cum cespite positus in terram genibus affingebant, cum ense ad mastrationem parato, sed manibus post terga religatum: inde Asinum apponebant, eventum rei nimirum fore irritum indicantes. Oderant autem id animal Aegyptii, non propter imperitiam & ineptias tantum, & contumeliosam ejus naturam, verum propter colorem etiam ex albo nigroque confusum, quem à Deorum sacrificiis alienum abominabantur. Erat vero apud eos mos, ut Asinum ludibriis omnibus incesserent, luto cespitibusque passim impetum, contis etiam stimulant, quaque se locus offerret opportunus, praecipitem agerent. Unde proverbium in contemptibiles despiciatissimosque homines emanarit, *Asinus Aegyptius*. Apud Hyperboreos tamen instituta dicit Pindarus *κλειπας ὄνων ἐκατόμβας*, illi enim Apollini Asinos mastrabant. Nam ut apud Callimachum legere est,



Aegyptiorum odium in Asinum.

Τέτρασι λιπαρῶν Φαίβων ὄνος Φαζία.

Exhilarant pingues Phœbum epulae ex Asino.

D Citat Apollodorum etiam Clemens Stromatis, de hujusmodi sacrificio. Gaudere vero Apollinem vitæ arbitrum, eorum jugulatione dicunt, propter asultus, quos indicio vivacitatis in cæde faciunt, dissculterque occidi soleant magnis quantumlibet ictibus percussi. Quantum vero pertinet ad impuritatem, apud alios uni Priapo sacer habebatur, ob verendi scilicet enormitatem, qua supra modum præditum sunt Asini: atque inde sunt ad generandum admodum segnes, compertumque est omnes alios ea genitalis productione conspicuos ad generationem ineptos esse, quod in emissionem per eam longitudinem semen transiens & hebetetur, & frigidius fiat. Neque vero nostro tantum tempore viri hujusmodi Asinorum instar habentur, sed olim etiam, ut gratissimus ille Imperatori Commodus, qui de pene ultra animalium modum prominente *Onos* appellatus est, eaque de causa ditatus, & Herculis sacerdotio præpositus. Tacebo Heliogabali emissarios, in hujusmodi genus monstrorum conquestionem: tacebo nostrorum etiam temporum opprobria.

Asinus cur Priapo dicatur.

EGRE-